





~~EX~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-19.*

SIGNAT. CLVCCCXIII.

*theol. Vol. 40*

*einzelner verzeihelt 30/3. 1915.*



URBS ἐπιλόφο

# BABYLON APO-

## CALYPTICA MYSTICA, ROMA

pro Throno Antichristi

Ex

Apoc: XVII. 5. 9. 18 & seq.

*declaratur, ac simul opinio*

### DE TEMPLIO HIEROSOLYMITANO,

In Sedem ipsius reædificandæ, rejicitur, Theolo-  
gicâ dissertatione,

*Quam ductu & auspiciis SUPREMI RECTORIS  
& Monarchæ TER OPT. MAX.*

IN INCLYTA & FLORENTISSIMA AD  
ALBIM ACADEMIA,

PRÆSIDE

*Viro Plurimum Reverendo, Excellentiss. Clarissimo,*

## Dn. JOHANNNE ANDREA

### QVENSTEDT, SS. Theol. D. ejusdemque Professore

Extraord. & Amplissimæ Facultat. Philos. Adjuncto  
gravissimo,

Dn. Patrono ac Præceptore candidè & sanctè suspiciendo,

*Ad placidam & jucundam disquisitionem in Auditorio  
publico d. ~~XX~~ Januarii proponit*

## M. JOHANNES JOSEPHUS DANIELIS,

Schemnicus-Hungarus.

---

TYPIS MICHAELIS WENDT.

ANNO M. DC. LII.

*Leab. II 1818*





BAB...  
CANT...

DE...  
M...

MUNICIPAL...  
AL...

D...  
O...

D...

M...  
S...







ש ב ג

## QUÆSTIO.

An Sedes ac Thronus Antichristi Eximii, sit  
Templum Hierosolymitanum & Salomonis,  
Soliumque Davidis; An verò Templum S.  
PETRI, ROMA?

§. I.

**A**rgentibus muris *Babylonis* vim inferre, pri-  
mo hinc statim intuitu Adversarii, magna in nos cum  
impudentiâ invehunt, ac insignem injuriæ, iniquita-  
tisque notam, immò crimen læsæ Majest. inurere sa-  
tagunt, quod Pontificem Rom. destituti quasi omni fundamen-  
to atque priscorum Patrum autoritate, Antichristum proclama-  
re non erubuerimus. Magnâ profectò injuriâ afficiunt Prædican-  
tes Lutherani, (inquit *Lamparterus Jesuita in statera fidei p. 2. 826.*)  
non tantum Catholicos Cæsares, Reges & Principes, quasi honorare  
Antichristum, sed & suæ fidei addictos Electores & Principes, in Catho-  
licorum ordinum devotione, amicitia & obsequio perseverantes. Et  
*Bellarmin. l. 3. de RP. c. 1.* ait: Magna impudentia Heretici, Pontifi-  
cem Rom. faciunt Antichristum. Cum certissimum sit, inquit *Possevinus*  
*Epist. ad Polon. Regem p. 302.* Pontificem M. nec Antichristum habend-  
um, neque unquam habitam fuisse, nisi à procacissimo aliquo heretico-  
rum; cui adstipulatur *Tannerus tom. 3. Theol. Scholast. disp. 1. q. 4.* &  
*Becanus de Antichrist. refut. 1. c. 2. p. 170.* *Coster de S. Pontif. cap. 3.*  
*Estius autem vocabulum Antichristi planè ignorari voluit.* In quan-  
tum etiam Adversarii, ob vocabulum hocce Rom. Pontif. in Col-  
loq. Ratisb. impositum, cohorrerint, ut sic aptum, abrum-  
pendi colloqvii prætextum reperiisse, putarint, quanto itidem la-  
bore *Bellarmin.* sese, in toto suo opusculo maceravit, & cum eo  
*Schioppius* eo tetenderit, ut telum hoc à Rom. Pontif. cervice,  
averruncarent, & exosum nomen penitè delerent, quo ita toti

A 2

mundo



mundo innotesceret, Papam non esse Antichristum, notius est, quam ut proluxa indigeat enarratione: Et exigui, vel nullius momenti sunt, quæ inter ejusmodi scalpentes fabellas, è baratro pectoris resumptas, ad removendū à se, & Pontifice suo, Antichristi nomen, proferunt, quicquid enim ogganniunt, Camarinam sibi ipsis movisse, experiuntur. Inquit quidem Bellus ille in armis, antea citatus lib. 3. de Pontif. *Antichristi nomen significare hostem & æmulum Christi, Romanum verò Pontificem se Christi famulum & Christi subiectum, in omnibus fateri, non autem dicere se Christum ullo modo esse, neque illi se parem facere, ergo non esse Antichristum.* Fateor I. Antichristi nomen significare hostem, & æmulum Christi, est enim ἀντιχριστός ἐν 2. Thes. 2. v. 4. οὐτιδεγὼν sc. τῷ ἀληθινῷ βασιλεῖ. Qui Christo controversiam regni facit, hostium Christi dux & antesignanus. II. Fateor, non dicere Pontificem, se esse Christi hostem & æmulum, esse tamen eum talem, ejus facta & vita probant, ipsi quoque Diaboli, verbis fatebantur Christum, Marc. 1. v. 24. Luc. 4. v. 4. & tamen Christi hostes erant infensissimi. Dudumque prædixit Paulus 2. Thes. 2. v. 7. 10. *venturum esse Antichristum, in mysterio & cum seductione, i. e. ut Medina, interpretatur in Thom. p. 3. q. 8. a. 8. Sub specie & velamine quodam pietatis.* III. Nec diffiteor, Pontificem se non tantum Servum & famulum Christi, sed & Servum servorum & famulum famulorum appellitare, (cujus nomenclaturæ titulum primus usurpavit Gregorius, quem Magnum vocitant, Episcoporum Romanorum, qui probi essent & veri Episcopi, ferè ultimus) sed interim Dominus Dominorum esse, modis omnibus contendit, & dominandi libidine, in præceps rapitur. IV. Falsum est, Papam nullo modo se Christum esse, dicere, aut illi parem se facere, quod ex ipso Bellarmino aliisque Scriptoribus Pontificijs, probari potest. Qui enim dicit, aut dici patitur se esse DEum in terris, Leonē de tribu Juda, Sponsum, Caput, Fundamentum Ecclesiæ, Lapidem illum angularem de quo Esa. 28. 16. *Qui sibi tribuit dictionem articulorum fidei, is aliquo modo se dicit esse Christum, & illi parem se facit, Sed illud Papa de se dicit, aut dici de se patitur, Ergo. De minoris veritate, si quis dubitat, videat Concilium Lateran. cujus initium sub*

*Julio*



Julio II. & finis in Leone X. fuit. Bellarm. in præfat. Controv. hujus tertiæ, & de Pontif. l. 1. c. 9. alios.

§ II. Quod verò priscos Ecclesiæ Doctores concernit, per quos, tanquam velo expanso, simpliciorum oculos eludere satagunt, versutiæ artifices, concedimus, esse aliquam in explicatione Prophetiarum, de Antichristo, discrepantiam, tam inter ipsos veteres D d. quàm hos & recentiores, non tamen in re ipsa, sed in circumstantiis, in particulari enim, qualis, quomodo & quando venturus sit Antichristus, penetrare ad eò non potuerunt Patres. Nam vaticinia de Antichristo, in S. Scripturis, & præsertim in Propheria Danielis, Epistolis Paulinis, & potissimum in Apocal. Johannis, Spiritus S. in piorum instructionem & cautionem, annotare quidem voluit, eorundem verò legitimam explicationem & verum intellectum, accedens complementum, eventus & experientia suppeditant: Quo destituti Patres, nil mirum est eos, in ipsissimo temporis articulo, loco, rerumque ordine, aliisque circumstantiis notandis, aberrasse, cujus hallucinationis causa, haud postrema est, quod Prophetiæ in fine & impletione, primùm omnibus patere debuerunt. Quod disertè prædicat Daniel. Propheta cap. 12. v. 4. circa tempus finis scrutaturos multos & auctum iri cognitionem: Unde etiam Danieli præcipitur ut claudat sermones suos, & obsignet librum, usque ad statutum tempus c. 12. l. e. donec eventus ostenderit: Et apud Jerem: 29. v. 9. Cum venerit verbum ejus, scietur Propheta, quem mittit DEUS in veritate. Huic suffragatur ex antiquissimis Irenæus lib. 4. contra Valent: Omnes Prophetiæ, ait, priusquam habeant efficaciam, ænigma & ambiguitas sunt hominibus, cum autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum est, tum prophetiæ, habent liquidam & certam expositionem: Ex Adversariis, Bellarm. l. 3. de RP. c. 10. Commune est, inquit, omnibus Prophetiis & vaticiniis Prophetarum, ut ambigua & obscura sint, donec impleantur, cum verò completa sunt, clarissima efficiuntur. Et Pererius in Daniel. lib. 15. p. 76. Salmero Tom. ult. Oper. p. 357 aliique. Alia itaque est ratio, explicandorum articulorum fidei, qui expressa Scripturæ nituntur literâ, verbis claris & perspicuis traditi sunt, nihilque vel ratione circumstantiarum, loci, temporis, persona-



rum variant: Alia itidem ratio vaticiniorum, & præsertim si  
 obscura nobis sint, licet à multis explicentur, rarò tamen verus  
 & genuinus eorùdem sensus, citius intelligitur, quàm cum cœpe-  
 rint impleri: Interim tamen veritati fidei & Religioni Christia-  
 næ nil quicquam decedit: Nec propterea aliquis, de salute sua  
 periclitatur, licet vel maximè, fundamentalem illorum vaticini-  
 orum explicationem assequi, vel suopte studio, à strophis & cor-  
 ruptelis Adversari liberare, & sanam doctrinam vindicare neque-  
 at, dummodo sibi caveat, ne fanaticæ doctrinæ alicujus philtro  
 inescetur: Adeoque dogma de Antichristo non est fundamen-  
 talis articulus fidei, homini ad salutem necessarius, vel qui citra  
 dispendium salutis, ignorari non potest, utpotè cum per plurimi  
 fuerint, qui de Antichristo, antequam revelatus fuit, vel nihil  
 sciverint, vel jam revelato, aliquid tantum senserint, tamen abs-  
 que naufragio salutis. Quod si verò, de generali aliqua noticia,  
 & quæ rem ipsam concernit, rei que substantiam quæstio sit; An  
 nimirum ductu Scripturæ Patres, Antichristum esse, & quid sit  
 sciverint? hæc ipsa cognitio illis deneganda non est.

§ III. Verum enim verò uti ipsi Judæi, obdurati & ex-  
 cœcati, in prophetiis de Christo, nihil nisi tenebras palpant, &  
 dum Christum JESUM agnoscere detrectant, eas, de quavis alia  
 re loqui cogunt; Sic & Pontificii, simili cœcitate percutiuntur,  
 atque ne Antichristum, cujus sectatores sunt, agnoscere cogan-  
 tur, prophetias de eo, ipsiusque regno, ut eludant, omnem mo-  
 vent lapidem. Sed quòd Papa Roman. sit ille Antichristus  
 Eximius, de quo Daniel, Paulus & Johannes Evangelista & Apo-  
 stolus vaticinati sunt, unico hoc argumento demonstrabimus.

*Cuiusque Antichristi illius eximii, omnes & singule notæ, tam internæ  
 & essentielles, quàm externæ & accidentales, quæ Antichristo illi  
 M. à Daniele, Paulo & Johanne, attribuuntur, conveniunt &  
 applicari possunt, ille jure merito, pro Magno & Eximio illo An-  
 tichristo est habendus.*

*Atqui Papa Roman. Magni & Eximii illius Antichristi, omnes & sin-  
 gule notæ, tam internæ & essentielles, quàm externæ & acciden-  
 tales quæ à Daniele & Paulo & Johanne ipsi attribuuntur, con-  
 veniunt & applicari possunt.*

*Ergo,*

*Mjov*



*Major stat ineoneussa, Minor probatu facilis est.* Papæ enim Romano omnes & singulæ illæ notæ, à Sanctis illis hominibus annotatæ conveniunt, non tantum interiores sc. ratione (*α*) *doctrina* Dan. xi. 36. 11. Thes. ii. 3. 4. (*β*) *cultus novi & Idololatriæ* Dan. xi. 37. 38. seq. *Hinc Augustin. Tract. de Antichr. Demonum,* ait, *cultum revocabit, impios magnificabit, legem Evangelicam dissipabit, atq; hæc omnia, in media ipsa Ecclesia.* (*γ*) *fastus & ambitionis,* quod sc. supremam & Monarchicam potestatem in Ecclesia, sibi arrogaturus sit Dan. xi. 36. 11. Thes. ii. 4. *Sedet in templo DEI,* h. e. Ecclesia, & ostentat se pro DEO, h. e. omnem potestatem regendi & judicandi in Ecclesia, sibi tribuit, & arrogat sibi ea, quæ nemini nisi DEO competunt. *Et extollitur super omne quod dicitur DEUS,* h. e. dominium sibi arrogat in omnes quos Scriptura & DEUS, appellat Deos. Suis pedibus oscula ab Imperatoribus & Regibus figi patitur, quin & imperia & regna transferre se posse commentitur, &c. Sed & notæ *externæ & accidentales* ei competunt, quod sessurus sit super septem montes, Apoc. xvii. 18, quod etiã nomen tale habiturus, cujus literæ exhibebūt σ σ σ numerum, qui spiritu Oris Christi, interficiendus, &c. de his consuli potest Gerhard. in Confess. Cathol. de Antichr. p. 693.

§ IV. Sufficiat hætenus, ostendisse, Roman. Pontificem, esse Magnum & Eximium illum Antichristum, nunc ad ipsam rei tractationem & id quod caput scriptionis est, accedimus, investigaturi sedem Filii illius perditionis: Ne autem incerto versemur pelago, nonnullum erit operæ pretium, ut ante omnia obscuriori quæstioni, clariorem fœneremur lucem, concessa à controversis, justâ circumspeditione secernamus, & quæstionis statum legitimè formemus. Ex antè dictis a. patet, quod hac vice generalis aliqua acceptatio Antichristi, quæ qualemcunque Christi adversarium, ratione falsæ doctrinæ, vel morum vel vis externæ, quæ cuivis Tyranno ac hæretico cōpetere possunt, 1. Joh. ii. 18. denotat, in controversiã non veniat; sed quod quæstio sit de speciali aliquo & Eximio, qui præ cæteris omnibus Christo adversaturus, Regnum ejus vastaturus, qui non tantum paucorum seductionem sed universalem ἀποστασίαν moliturus sit, quem Apostolus nuncupat II. Thes. ii. 4. ἀντιχριστὸν, hominem peccati, filium perdi-



perditionis, v. 3. & Joh. 1. Ep. 11. ἀντιχριστός, quam in rem pulchrè  
Origen. Homil. 39. in Matth. Est, inquit, Antichristi nomen ipsius ge-  
nerale, cujus sunt species multa: Hic autem una tantum quedam de-  
signatur, quæ pessima, sceleratissima, (præ cæteris omnibus conspicua)  
& omnium maximè est execranda. His præsuppositis, perpen-  
dendum sedulò est, quâ ratione Babylon sub considerationem ca-  
dat & h. l. acceptetur, quò Thronus Antichristi notari & de-  
monstrari queat. Sciendum 1. non considerari eam, in sua pro-  
priissima & strictissima significatione, quæ vel Urbem Chaldeæ fa-  
mosissimam, vel ejus Turrim, vel ipsam Regionem, vel etiam Ur-  
bem Ægypti denotare assoler. Nec 2. Latissimè pro universali  
& communi Diaboli civitate, vel ut Thomæ loqui placet, Infide-  
lium numerositate, aut phrasi usitata apud Sander. lib. ix. de Visib.  
Monarch. cap. 8. Pro societate omnium Impiorum, sub Rege Diabolo,  
aut impiorum hominum universitate, ut dicere solet Dionys. Car-  
thusian. in Apoc. 18. Sed III, Metaphoricè & Mysticè pro Roma,  
non tamen Ethnica sed Christiana, non tantum ratione populi,  
sed & ratione ipsius Urbis, ut ex domibus & aliis ædificiis constat,  
inque certo terræ loco sita est, & mysticè cœu spiritualiter Baby-  
lonem adumbrat: Hanc sedem esse, in qua Antichristus ille Exi-  
mius, Papa sc. Roman. sessurus sit, constanter & indubitato asse-  
rimus. Nostram autem sententiam primò probabimus, osten-  
dendo, non ipsam Urbem Babylon mundanam, aut ipsam nume-  
rositatem Infidelium; sed Romam non tamen Ethnicam, nec il-  
lam, qualis à Pontificiis, in novissimis temporibus futura, de-  
pingitur, quæque relapsura, (tanquam Canis ad vomitum) ad I-  
dololatriam, fingitur, sed hodiernam Pontificiam esse sedem An-  
tichristi. Quibus probatis, ultimo loco, eorum opinionem eti-  
am removebimus, qui Templum Hierosolym. reedificatum, se-  
dem Antichristi futuram autumant.

§ V. De hujus doctrinæ veritate, & cum Verbo DEI ex-  
quisitissima conformitate, certò ut constet, ad prius quæsitum  
nos convertimus. Apoc. xiv. 8. Et alius Angelus sequutus est,  
dicens: Cecidit Babylon, urbs illa magna, & cap. xvii. 5. Et in fronte  
ejus nomen scriptum Mysterium. Babylon Magna, Mater fornicatio-  
num & abominationum terra: Confer Cap. xvi. v. 19. & xix. v. 2.

Quæri-



Quæritur hic, an *Babylonis* nomen, quâ Spiritus S. designat sedem Antichristi, propriè pro Babylone Mesopotamiæ famosissima illa primæ Monarchiæ Chaldeæ metropoli, vel pro ejusdem nominis Urbe, in Ægypto, quæ hodiè *Cairus* dicitur, an indifferenter & generaliter pro universo regno Diaboli, omnibusque gentibus erroribus inebriatis, ut loquitur Primasius, an verò nomen istud mysticè & figuratè, pro Urbe *Roma*, sit accipiendum. Mira hic est inconstantia Pontificiorum; aliqui, pauci tamen, Babylone propriè sic dictam intelligunt, abutentes loco Zach. V. II. alii *omnium impiorum multitudinem*, quam sustineat Diabolus, per Bestiam illam septicipitem figuratus; alii *Romam* mysticè per *Babylone* intelligi censent antiquam, Gentilem seu Ethnicam, vel *Romanam civitatem* in ultima mundi vespera defecturam. Verum enim verò, cum vetus Babylon, nominatissima illa Chaldeorum Urbs, quam *Semiramis* Uxor *Nini* Assyriorum Regis, in Regni sedem condidit, juxta *Esaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, aliorumque Prophetarum, vaticinia, jam pridem desolata, atque ante visam Apocalypsin, quasi *ἔρημια μεγάλη* publico gentium præconio, infamata sit, jamque in exiguis extincta, ruinis jaceat, altera verò quæ apud Ægyptios *Babylon* erat; obscurus planè olim locus fuerit, non civitatis, nec oppidi dignus nomine, (*Castellum à Strabone lib. 17. & aliis nominatur*) nemini amplius obscurum est, illas Urbes hinc in considerationem non venire. Si verò per Civitatem illam Magnam in genere designaretur hominum impiorum Universitas, non posset dici, procul ab ea stare Mercatores terræ, Reges cum illâ scortantes, Nautæ & alii Impii, existim ejus lugentes & lamentantes, cum ipsi in eadem universitate simul comprehendantur, ut eruditè observat Johan. Clüver: Tom. I. Comm. in Apoc. Tract. III. Unde tale nobis enascitur Argumentum:

*Cui prædicata illa, quæ Babyloni Apocalyp. à Spiritu S. tribuuntur, non competunt, illud per eam non est intelligendum.*

*Atqui nec Babyloni propriè dicta, nec numerositati infidelium, prædicata illa, quæ Babyloni Apocalyp. Spiritus S. tribuit, competunt.*

Ergo.

B

Major



Major suâ luce radiat. Minor probatur, Prædicata enim illa non competunt i. *Babyloni* propriè dictæ, quæ Sp. S. *Babyloni* Apocalyp: tribuit, sc. quod sit meretrix sedens super aquas multas Apoc. xvii. v. 1. (quamvis enim similitudo sumpta videatur à Babylone ad Euphratem sita, h. l. verò sedere ad vel supra aquas multas, est dominari multis populis & gentibus, immò dominium super omnes populos & Ecclesias sibi arrogare, ut explicatur v. 15. *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi & turbae sunt & gentes & lingvæ,*) cum qua fornicati sunt Reges terræ, quæque inhabitantes terram vino prostitutionis inebriat, quod imposita sit septem montibus, &c. Nec competunt numerositati & multitudini infidelium, quippè cum non habeant tale imperium super gentes, turbas & lingvas. Ubi enim vel in quosnam dominatum exercerent, an in seipfos? quod absurdum! an in pios & fideles? hi verò respectu habito ad impios & infideles, ipsà Scripturâ teste, pauci sunt: Nec sedent super septem montes, præsertim cum hæc phrasis de certâ civitate usurpetur, teste *Suarez & Wittakero*, c. supra c. Evidens ergò est, & omninò certum, Mysticam aliquam *Babylonem* ab Angelo indigitari, hæc verò nulla alia est, quàm *Roma*, fatentibus ipsis Pontificiis Scriptoribus. Docet hoc Scriptura sacra, cui dum attendimus benè facimus. II. Petr. i. v. 19. & quidem

*Babylon mystica est Roma.*  
I. probatio ex Scriptura.

Primò, disertâ Urbis descriptione & situs appropriatione. Apocal. xvii. v. 9. αἱ ἐπὶ τὰς ἑπτὰ ὄρη εἰσὶν ἐπὶ τὰς ὕδρας ἡ γυνὴ καὶ ἑπτὰ ὄρη. Septem montes sunt Symbolum Urbis *Rome*. Septem enim colles, *Palatinum, Capitolinum, Aventinum, Exquilinum, Caelium, Viminalem & Quirinalem*, suo ambitu suisq; mœnibus complexa erat. Hinc canit Mantuanus Vates lib. ii. Georg,

Scilicet & rerum facta est pulcherrima *Roma*:  
Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

Et lib. vi, *Æneid*.

En hujus vate auspiciis, illa inclyta *Roma*  
Imperium terris, animos equabit *Olympo*.  
Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

*Oridius*, *Pelignæ gentis gloria* lib. i. Trist. Eleg, 4.

Sed quæ de Septem, totum circumspicit Orbem  
Montibus, imperii *Roma*, Deumq; locus.

Vener.



Venusinus Poëta Carm. secul. ult. lib. Epod.  
*Diis quibus septem placuere colles, dicere carmen.*

Propert. lib. 3. Eleg. 10. de Roma:

*Septem Urbs alta jugis, totique præsidet Orbi.*

Claudian: in Panegyri.

*Qua septem scopulis, Zonas imitatur Olympi,  
Armorum legumq; potens, qua fundit in omnes  
Imperium. &c.*

Conferatur ex Histor. Plinius l. III. C. V. Plutarch. in Pro-  
blem. Rom. Varro l. V. de lingv. Lat. Quis ergò per mōtes septem,  
quibus Spiritus S. exporrecto quasi digito, sedem AntiChristi  
demonstrat atq; describit, montes propriè dictos, quibus Roma-  
na civitas superstructa est, non intelligat? Præsertim cum Em-  
phaticè Angelus interpres addat, eandem mulierem, quam aquis  
mysticis insidentem vidit Johannes, in istis septem montibus re-  
sistere; & apud ipsos Profanos autores, nulla alia Urbs quam  
Roma ἐπὶ ἑπτὰ λόφοις, & septiceps appelletur. Sic Victorinus, Scri-  
ptor satis antiquus: *Capita Septem, inquit, septem montes sunt, in*  
*quibus mulier sedet, i. e. civitas Romana:* Instar plumæ ergò hinc ab-  
igitur argutiola Schioppit qui, ut evincat h. l. Romam per Septi-  
montii descriptionem, non posse designari, addit, hodiè non se-  
ptem, sed undecim montes ibidem reperiri. Ast licet hoc fa-  
ciles demus, anne propterea falsum erit, olim in septem Monti-  
bus Romam sitam fuisse. Quis feret sic argumentantem; Ho-  
diè Roma insidet undecim collibus, ergò olim non fuit septi col-  
lis, aut per septem colles videl. præcipuos & maxime notabiles,  
quibus superinædificata fuit, non potuit designari?

*Johannes Cocceius Franecarane Academ. Prof. in tractat. de  
Anticbr. ad cap. XII. Apoc. p. 103. verba ista, non de septem montibus  
propriè dictis, quibus insidet Urbs Roma, sed de septem provin-  
ciis, in quas Orbis Romanus sub Cæsaribus, divisus fuit, accipit.  
Partes autem & provincias enumerat istas, Italiam, Græciam,  
Asiam minorem, Palæstinam, Africam, Hispaniam, Galliam. Ea-  
dem repetit ad cap. XVII. Apoc. p. 191. inquiens: Montes Bestie,  
capita sunt septem magna orbis partes, ex quibus illud Unum Regnum  
constatur; Enumero denuò 1. Africa (in qua Ægyptus) 2. Syria cum  
B 2. Pala-*



*Palæstina 3. Asia 4. Græcia cum Thyrice 5. Italia cum annexa parte Germaniæ 6. Gallia cum objecta Insula 7. Hispania.* Verùm nulla cogimur necessitate, ut à proprietate literæ hîc recedamus, & potius hæc regna per decem cornua. v. 12. designari dicimus. Vide B. Gerhard. Com. in Apoc. ad vers. 12. Cap. XVII.

*II. Probatio.*

II. Docet hoc ipsum scriptura *Adjuncta Domini commemoratione.* Neq; enim abs re dicit, *mulierem istam esse Urbem Magnam, habentem regnum super Reges terra.* Apoc. XVII. 18. Hæc Angeli determinatio, qua per mulierem Civitatem Orbis Dominam designat, ad eò perspicua est, ut Ribera, Bellarminus, Alcasar, & plurimi alii Pontificiorum, ultrò fateantur, *Romam* hic vivis coloribus depingi. Sane priscis temporibus Roma fuit Urbs magna & potens, cujus imperium cum Orbis terminis æquè latè patebat, cujusq; senatus & populus imperitabat Regibus: Nec dubium est, quin status Papisticus Veteris Imperii Romani Idololatrici imago sit. Ipse enim Pontifex Romanus, sibi sumit Imperium in Reges terræ, ipsos pro lubitu deponit, eorumque defectum supplet. Palàm id fatetur Cæsar *Baronius* ad Ann. 1169. num. II. suppeditans responsum *Grutiani* Legati Pontificii, Angliæ Regi *Henrico II.* datum: *Domine, ait, noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de tali curia sumus, que consuevit imperare Imperatoribus & Regibus.* Simile quid legitur apud *Aventinum* lib. VI. Annal. p. 506 de *Adrian, IV.* Anno 1159. tempore *Friderici Barbarossæ*, qui sic ad Archiepiscopum *Moguntinum, Coloni: & Trevirens:* scripsit. *Unde habet Imperium Imperator, nisi à nobis, Ergò per nos imperat &c. Imperator totum quod habet, habet à nobis;* Vide ibidem plura.

Silentii conopæo involvimus, quæ de *Clemente VI.* in Bulla Indulg. referuntur, quorum meminit *B. Lutherus Tom. I. Jer. Germ. fol. 424* qui *Angelis imperare ausus fuit, mandando, ut animas mortuorum, in Paradysum transferant: Alexander VI. Pontifex,* univèrsam Orbem veluti distribuit inter Reges *Castiliæ & Portugalliæ, & Ferdinando* quidem, ejusq; Uxori *Isabelle* maximam Orbis partem dono dedit, sic enim habent ejus verba: *De nostra mer à liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine omnes Insulas ac terras firmas, inventas, & inveniendas, detectas & dete-*



*Et detegendas, versus Occidentem & Meridiem, Vobis, heredibusq; & successoribus vestris in perpetuum tenore presentium donamus, concedimus & adsignamus.*

Quemadmodum ergo Veteris illius Imperii sedes fuit Roma antiqua, ita quoque hujus fictitii & imaginarii Imperii hodierna Roma sedes ac Thronus est. Romana itaque civitas est Babylon ista Apocalyptica, quod nec ipsi diffiteri possunt Adversarii. Alcasar plures quam viginti gravissimos (uti ipse censet) auctores commemorat, referente Cluvero l. supra C. qui Babylonem hanc Romam esse doceant: ii sunt, Papias, Tertullianus, Eusebius, Hieronymus, Apringius, Cassiodorus, Paulus Orosius, Hentenius, Annius Salmeron, Ederus, Bulingerus, Forerius, Gagneus, Hesselius, Bellarm., Pererius, Suarez, Marquez, Pmadus & Mendoza. Et meo quidem iudicio (addit Jesuita) prævium horum auctorum ducem, merito designare possumus Angelum illum, qui Jobanni nonnulla ex Apocal. explicavit. Perspicue enim asseruit, septem ejus bestia capita esse septem Romæ montes, & per meretricem denotari Urbem magnam, qua habeat regnum super Reges terra. Hæc ille. Bl. Viegas supponit tanquam certam, Babylonem aliquam hic accipiendam esse mysticam, quia in fronte gerat mysterium, Apoc. XVII. 5. Ipsamque Romanam Urbem, nomine Babylonis, in Apocalypseo opere, toties significari asserit. Vide ejus Comm. in Apoc. Confer. Sander. in demonstrat. 38. sub initium. Baron. in Annal. ad An. 45. num. 18. Nec diffidetur Romam esse illam Babylonem Bernhardus de Busto p. 2. quadrag. Serm. II. Ern. Saa in Apoc. 13. & 17. Vide etiã si placet Cornel à Lapide Comm. in Apoc. 3. p. 256. 257. ubi prolixè confirmat Romam esse Babylonem. Quare verò Babylon Chaldeæ Typum Romanæ Curiaë gessisse perhibeatur ipsaque Roma Babylon appelletur, rationes V. sunt gravissimæ, quas latissimè persequi possemus, nisi rem in pauca conferre, propositum nostrum esset, sufficiat igitur indicasse, Babylonem dici Typicè Romam. I. Ob similitudinem pænæ, qualis erat confusio linguarum Gen. XI. Uti ergo Babylon est confusio, sic etiam Roma est sentina omnium hæresium & confusionum. II. Ob Tyrannidem in conscientias, qualem exercuit Nebucadnezar, proposita ad adorandum imagine: Eandem Romana Curia imitatur. III. Ob



Superbiam, illa dicebat, *sedeo Regina, & vidua non sum, luctum & orbitatem non videbo* Esa. 47. 8. Idem dicit *Roma* Apoc. 18. 7. *IV. Ob dominatum*, Vetus Babylon erat Caput & Metropolis Monarchiæ Babylonicæ, Roma Romanæ, nec hoc tantum sibi vendicat, sed & dominatum in fidem hominum *V. Ob Captivitatem*, Israelitæ in Captivitate Babylonica fuere detenti: Pontifex Romanus, per traditiones humanas, Christianos tenuit captivos *VI. Ob Idololatriam*, in simulacris enim insanire non minus videtur Roma, quam olim Vetus Babylonia. *VII. Ob scortationis immunditiam*, omnis enim Babylonica Matronda, *Herodoto teste lib. 1.* in honorem Veneris, semel peregrino Zonam solvere cogebatur. Et Romana civitas, non tantum Lupanaria permittit publica, sed Car (di)nales etiam & Curiales ejus palam scorta alunt, unde rectè Roma, cum ob Spiritualem, tum ob corporalem fornicationem *μητὴρ τῶν πόρνων*, Mater fornicationum dicitur Apoc. XVII. 5. *IX. deniq; Ob finem & exitum*, Babylon penitus in solitudinem redacta est, secundum vaticinia Esa. XIII. Jerem. L. 51. *Roma* nunc quidem adhuc sibi stare videtur ac florere, neq; enim sentit se cecidisse, sed veniet ei lactus & orbitas, quum non expectaverit Apoc. XV. 11.

III. probatio.

III. Docet id ipsum Scriptura, *Mysticâ adumbratione*. Apoc. XVII. 5. *Et in fronte ejus nomen scriptum*, *Mysterium*, h. e. singulare mysterium in descriptione meretricis M. est absconditum, quod videl. per eam intelligenda sit, non Babylon Antiqua Regni Assyriaci Metropolis, sed Babylon mysticè sic dicta, Roma sc. Antichristiana. Vide B. Gerhard. *Comm. in b. l.* Ex hætenus dictis constat, Meretricem illam sedentem super aquas multas, cum qua fornicati sint Reges terræ, quæq; inhabitantes terram Vino prostitutionis suæ inebriat; Et Mulierem illam, sedentem super septem montes, Urbem illam Magnam, habentem *βασιλείαν* super Reges terræ, cui ruina annunciat, & de qua populus Dei exire jabetur, ne participes fiat delictorum &c. Nullam aliam esse, quam *Romam*, Babylonem illam *Mysticam*.

Cum verò *Roma*, diversa hætenus fuerit facies, in eo vertitur *Cardo* controversiæ, ut demonstretur liquido sub quo statu *Roma* in Apocalypsi, & quat. pro sede Antichristi habetur, in  
conf.



considerationem veniat. Conveniunt in eo nobiscum plerique Pontificii, ut ostensum haecenus est, per *Babylonem* Romam figurari, id verò negant & pernegant, hodiernam Pontificiam eam adumbrari, contendentes *Romam* Antiquam Ethnicam, vel aliquando à Religione Christiana defecturam, esse intelligendam. Hinc Blas. Viegas p. 832. inquit. *Nomen Babylonis non ad eam Romam transferendum est, quae modò sub Romano Pontifice fidem Christi proficetur, sed ad eam, quae antequam reciperet fidem Christi, idolis serviebat, & ad eam, quae erit tempore AntiChristi, quam à summo Pontifice, atq; adeò à fide defecturam Johannes commemorat.* Verum præterquam quod nullam habeat probabilitatem, Johannis Prophetiam sub figurâ Meretricis, infidentis Bestiæ, Romam partim Gentilem, partim AntiChristianam depingere, nullam verò Romæ Papisticæ, quæ tamen diu duratura erat, mentionem facere. Sanè ruina & excidium Babylonis Mysticæ, Apoc. XVIII. 21. prædictum, minimè convenit in Romam Ethnicam. Dura quidem passa Roma est, quum Gothorum, Vandalorumq; fieret captiva, sed cum Christiana erat non Ethnica, nec fuit ille ultimus ejus interitus, in quem hic digitum intendit Johannes, & si fuisset, nullus AntiChristi Adventus restaret, nullaq; plaga amplius esset metuenda, quod absurdum. Neque in templo Idolorum aut Dæmonis, sed in templo Dei, in mediâ ipsa Ecclesiâ sessurum & regnaturum esse AntiChristum, disertè affirmat Apostolus II. Thes. II. v. 4. Quæ verò de Roma nescio quando, demùm futura, ejusque ad pristinam Idololatriam, potentiam ac Dominium, reditu, afferunt *Bellarmin. Viegas, Riberæ & alii*, haud vulgaribus argumentis refutat *Alcasar l. supra cit.*, ac ne apex quidem ex Scripturis produci potest, qui opinioni huic, vel ad minimum faveat; Et quæso! quid in Roma Antichristiana, quando erit defectio, fiet secundum prophetias, quod non sit impletum in Roma Pontificia, extra casum extremum adhuc implendum? si defectura Roma ante finem mundi, à Christiana fide, & ad Idololatriam pristinam, ut canis ad vomitum relapsura, omnisque scortationis & abominationis Mater futura est, ut isti volunt, falsum erit, quod toties inculcant Papicolæ; Ecclesiam istius Urbis, esse



esse *σῦλον καὶ ἐδραίωμα*, fundamentū & columnā, veritatis perpetuā? Ubi manebit, aeternitas Romæ, quā *Salianus* Tō. 6. *Annal. Eccl. ad An. 3908.* tantopere propugnat? Ubi subsistet Papa, cum sua triplici corona aurea, quem in mediis persecutionibus, Romæ tandem perseveraturum tradit *Cornel. à Lapide* *Comm. in Apoc. 18.* Manet ergò inconcussum, Romam, non eam quæ olim Christum ignoravit, nec illam, quæ aliquando, nescio tamen quando, deficiet, sed modernam Pseudo Christianam Pontificiam, Prophetiam Johannis per Babylonem magnam repræsentare, eamque Sedem & Thronum esse Antichristi. *Cur verò Romæ potius residet Papa, qui eandem in omnes, ubicunque demum sint terrarum, Ecclesiæ, potestatem sibi vindicat?* Cur Romæ potius, quàm alia celeberrima & amplissima Orbis Urbs, veluti *Hierosolyma, Antiochia, Alexandria, Constantinopolis, Florentia, Antverpia, Parisiorum Lutetia, Toletum, Londinum, &c.* Regni Papistici & Antichristi sedes firma & fixa est & manet? Scilicet ut impleatur Scriptura; Hæc enim, Urbem *ἐπιλοφον*, imperium super Reges terræ habentem, Antichristi sedem fore prædixit. Multa quidem hic quærunt subterfugia *Papicolæ*, quando quæritur, quare Pontifices Romanam Urbem in perpetuam sibi sedem elegerint? Refugiunt illi ad Cathedram Petri, quam Romæ esse volunt, & ab ea Oecumenicum illud Ecclesiæ regimen in Episcopos ejus Urbis, ut veros ejus successores fluxisse, modis omnibus contendunt: propter ordinem ergò & locum D. Petro sacrum, Pontificatum in alia loca non posse transferri. Verum lubrico nituntur fundamento, primò enim Petrum Apostolum Romæ fuisse non admodum abnuimus, sed eundem per XXV. annos, Romæ, in Sede Papali, Monarchicum dominatum exercuisse, ut Pontificii volunt, constanter negamus. Secundò si Pontifex Rom. per dispensationem aliis potest concedere, ne in suis Episcopalibus sedibus resideant, multò magis se ipsum, circa hoc liberum gerere & dispensare, *ut loquuntur*, potest. An Stephanus Episcopus quoties, propter Longobardos, Romanæ sedis infensissimos hostes, ad Pipinum Galliarum Regem se recepit, ac per aliquod tempus



ris intervallum apud Gallos commoratus est, toties Romanus Episcopus esse desit? Nonne tunc quoque quando sedes Pontificia Româ Avenionem à *Clemente V.* translata, ibidemque per annos plus quam LXX. continuos permansit, titulo Romani Præsulis, salutabatur Papa, licet vel maximè Romæ non esset? Infirmiora ergò sunt argumenta Adversariorum, quàm ut validiorem veritatis impetum sustinere possint.

Sed ne Patrum suffragio sententia nostra destitui videatur, ægedum pauca ex illis attexemus. Irenæus, sanctissimus & antiquissimus Apostolicæ fidei propugnator, idemq; acerrimus propagator, qui *Polycarpum Smyrnæ Episcopum*, *Johannis Evangelistæ* discipulum habuit Doctorem, lib. V. circa finem p. 335. applicat numerum Bestiæ,  $\chi\xi\epsilon, \theta\theta\theta$  Apoc. XIII. 18. ad vocem  $\lambda\alpha\tau\epsilon\iota\nu\sigma$ . Hunc sequutus est *Eusebius* lib. V. *Hist. Eccl.* Cap. 8. Item *Aretas* in *Apocal.* Nec incommodè. *Latinus* enim *Papa* est ratione (a) *Gentis*. Imò ad Pontificatum nemo hodiè admittitur, nisi qui natione Latinus sit, sive Italus. Bonifacius VI. nisi admodum fallor, ultimus fuit, qui ex alia gente Pontifex factus est. (b) *Sedis*, Quis enim ignorat Romam, in qua, tanquam in sui Regni verissima Metropoli, sedet & habitat Papa, Latii, nobilissimæ illius *Italiae Provinciae* Caput, omni ævo fuisse. (c) *Imperii*, nam ipsis latinis immediatè imperat (d) *nominis*, consueverunt enim Latina nomina Electis Pontificibus imponere (e) *Cultus*, Sacra etenim celebrari jubet Papa in lingua latina, etiam in illis locis, in quibus idioma latinum populo ignotum est: Latina itidem Biblia ipsi authentica sunt, diplomata, decreta, bullæ, dispensationes, inhibitiones, excommunicationes, latinis verbis concipiuntur & exarantur. Verbo, *Latina Papa sunt omnia*. De cætero alii in voce Hebraica  $\text{קלודין}$  numerum bestiae, alii in duobus Græcis vocabulis;  $\kappa\lambda\eta\sigma\iota\alpha$   $\iota\tau\alpha\lambda\iota\kappa\alpha$ , non extra rem invenerunt. Verum enim verò, solidiora sunt, quæ ex Scriptura S. rei probandæ causa, suprâ à nobis allata sunt, interim tamen haud obscure inde colligi potest, etiam Veteribus visum fuisse in Italica Ecclesia, & imprimis in Urbe Roma, regiam suam sedem erecturum esse Antichristum.

©

SEC.



SEC. III. Quintus Septimius Florens *Tertullianus*, Latino-  
rum Ecclesie Scriptorum, quos habemus, vetustissimus, (*quem  
Magistrum semper salutabat Cyprianus*) lib. contra *Judeos* c. 9. &  
lib. III. contra *Marcion*. c. 8. expressè per *Babylonem*, Ἰερουσόλυμα  
Romam intelligit, & c. 13. ait. Sic & *Babylon*, apud *Johannem  
nostrum*, Romanae urbis portat figuram, proinde & magna & regno su-  
perba, & sanctorum debellatrix. Unus idemq; spiritus, quo afflatus,  
locuti sunt *Sancti Dei Viri*, eodem Symbolico nomine Romam significa-  
vit. *Sanctus Victorinus Pictaviensis Episcopus*, qui Martyrium  
passus est sub *Diocletiano* Anno 303. Comm. in *Apoc.* (de quo  
tamen dubitatur an sit omni ex parte *Victorini genuinus factus*) *Baby-  
lonem* de Romana civitate disertè intelligit. *Hieronymum* citat  
*Ludov. Vives* lib. 18. de *Civit. Dei*, cap. 22, hic scribens ad *Marcellum*  
*Epist.* 17. non aliam existimat describi à *Johanne* in *Apoc.* *Babylo-  
nem*, quam Urbem Romanam.

SEC. V. *Paulus Orosius* l. 2. c. 3. & lib. 7. cap. 7.

SEC. VII. *Beda Venerabilis*, quem citat *Ribera* in cap. 14.  
*Apoc.* num. 29.

SEC. XII. *Bernhardus Abbas Claravallens*: præter ea, quæ  
ad *Eugenium Romanum Pontificem* scripsit, (ex quibus haud  
obscurè colligi potest, eum agnoscere Romanam Urbem Anti-  
christi sedem esse) in *Cantico Cantic.* serm. 33. inquit, *Antichri-  
stum futurum meridianum Demonium*, quia à meridie erit, & illic se-  
debit. Est a. Romæ situs ad meridiem, ut neminem latet, qui  
*Geographiam* primoribus gustavit labris. Vide *Simonis Schar-  
dii Jcti Camerae Imperialis quondam Assessoris librum*, qui continet  
30. maximæ autoritatis scriptorum testimonia, qui Romam *Ba-  
bylonem*, ejusque Episcopum Antichristum vocarunt.

Accedimus ad alteram Disputationis partem, in qua discu-  
tienda eorum opinio est, qui autumant sedem Antichristi futu-  
ram Hierosolymam, seu templum Hierosolymitanum aliquan-  
do sive à Judæis, sive ab ipso Antichristo, ex cineribus excitandum  
atque reparandum? *Bellarmin.* lib. III. de *Rom. Pontif.* cap. XIII.  
Postquam nostram de sede Antichristi exposuisset sententiam,  
subjungit; At nihilominus vera sententia est, Antichristi sedem  
fore



fore Hierusalem, non Romam, & templum Salomonis, ac solium Davidis, non templum S. Petri, aut sedem Apostolicam. Confer Costerum in Apoc. part. 3. c. 2. I. Repeto suprâ propositum argumentum:

*Cui non competunt predicata, quæ Babyloni Apocalyptica, utpotè sedi Antichristi à Spiritu S. tribuuntur, illud pro sede Antichristi non est habendum:*

*Sed Hierusalem predicata illa non competunt. Ergo.*

*Minor probatur, Hierusalem enim esse positam suprâ septem montes, aut esse Urbem regnantem super gentes, nemo dixit unquam, nec ipsi convenit. II. Obstat huic assertioni, Justitiæ divine decretum, juxta quod templum illud Judaicum erat desolandum, penitus delendum & nunquam reedificandum. Servator Matth. 23. gravissimam suam ad Phariseos Concionem, in ipso hoc templo, tragicâ hac comminatione concludit: Relinquetur vobis domus vestra deserta, & postea cap. seq. v. 2. speciatim de Templo decernit & edicit futurum, ut funditus evertatur & subruatur, adeò ut ne lapis quidem super lapidem sit relinquendus. Quæ, quemadmodum juxta simplicem quoque literam, jam ante cis hoc annos, & quod excurrit adimpleta sint, Ecclesiastica tradit Historia: Nec instaurabitur amplius ante novissimum diem templum illud. Nam Daniel Propheta c. 9. v. 27. disertè docet, everisionem & desolationem templi factam à Tito & Romanis, usque ad mundi finem duraturam.*

*Julianus Apostata, qui Imperatorum ultimus Idola coluit, in odium quidem Christianorum concessit Judæis potestatem instaurandi Templum Hierosolym: æternæ vastitatis à Deo damnatum, sed metuendi globi flammaram probè fundamenta, crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum, hocq; modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum, referente homine Gentili, Ammiano Marcellino lib. XXIII. numero I. Vide Socratem, Theodoretum, Sozomenum, Zonaram &c. idem contestantes. Et testatur Bened. Pererius lib. 10. in Dan. Cyrillum tum temporis Hierosolymitanum Episcopum probasse ex vaticinio Danielis & verbis*

C 2

Chri-



Christi Matth. 24. reparationem Templi Judaici esse impossibi-  
lem: Postquam itaq; secundum illud Templum Dei nutu, au-  
spiciis & sumptibus *Josua Pontificis & Principis Zorobabelis* re-  
suscitatum, ab *Herode M.* verò inusitata & admiranda magnifi-  
centia amplificatum & excultum, per Romanos deletum, ever-  
sum & solo æquatum est, tertium ibidem templum expectare,  
purus putus Ἰσραηλιτῶν ἐστὶν; est; cum nulla restitutionis illius  
in toto codice sacro, habeatur promissio. Ipsiq; fatentur Ponti-  
ficii pleriq;, *Lyranus* in cap. 23. Matth. *Bened. Pererius* l. c. & lib. 14.  
in Dan. *Corn. à Lapide* Comm. in Ezech. aliq; plurimi, desolatio-  
nem illius templi in omne ævū fore irreparabilē. Cum ergo Tem-  
plum illud *Salomonis*, in rerum natura non amplius sit, nec ulla  
spes illius denuò excitandi remanserit, sequitur, nec pro sede fu-  
tura AntiChristi haberi illud posse. Sed videamus *Bellarmini*

“ probationes: AntiChristi sedem, inquit l. supra cit. fore Jerusa-  
“ lem, dupliciter probare possumus, primum argumento ad hominem, de-  
“ inde ex scripturis & Patribus. Argumentum, quod vocat ad ho-  
“ minem, alibi excutitur, probationes, quas ex Scripturis affert,  
“ huc redeunt. Sedem AntiChristi Hierosolymam esse futuram. Primò  
“ quia Testes Dei ibi interficientur, ubi Dominus noster crucifixus est  
“ *Apoc. XI. 8.* Quae autem est civitas (addit) ubi Dominus crucifixus est,  
“ nisi Hierosalem, Secundò Quia sedebit AntiChristus in Templo Dei 2.  
“ *Thess. 2. 4.* Nam etsi variae dentur expositiones à Patribus (subjungit il-  
“ las, tandē concludit) tamen expositio cōmunior, probabilior & litera-  
“ lior est eorum, qui docent, per Templum Dei intelligi Templum Salomo-  
“ nis, in quo utcunq; reparato sedebit AntiChristus: Addit rationem,  
“ quia in Scripturis N. T. per Templum Dei nunquam intelliguntur Ec-  
“ clesiae Christianorum, sed perpetuò Templum Hierosolymitanum & c.  
“ Hæc ille: Sed ut de posteriori loco prius agamus; Non diffite-  
“ mur, vocem τῆς ναῦ θεῶν propriè acceptam tam in V. quam N. T.  
“ de Templo Hierosolym. dici, interim tamen negari non potest,  
“ eandem vocem mysticè de Ecclesià Christianorum ejusq; mem-  
“ bris usurpari: Verū, quando negat *Bellarminus* in N. T. Ec-  
“ clesias Christianorum Templum Dei vocari, ἀνεργλόγως per  
“ Ecclesias ipsa ædificia, in quibus sacra celebrantur intelligit.

Mysti-



Mysticè autem usurpatur, videl. de domo Dei, qua est Ecclesià Dei  
vivi. Tim. III. 15. de edificio, quod ex piis & fidelibus, super funda-  
mento Apostolorum ac Prophetarum superstructis, coagmentatum,  
crescit, ut sit Templum sanctum Domino Eph. II. 21. hoc sensu accipi-  
tur Vox vobis & 1. Cor. 3. 16. & 18. Nescitis quia templum Dei estis,  
& Spiritus Dei habitat in vobis, qui templum Dei corrumpit, disperdet  
ipsum Deus, nam Templum Dei sanctum est, quod estis Vos. Sic Ec-  
clesia Dei expressè Templum Dei vocatur Apoc. III. 12. Ipsa q; ce-  
lestis patria ac sedes beatorum. Apoc. VII. 15 Per Templum igitur Dei  
I. Thes. II. non intelligitur templum Hierosolym. hoc enim, ex quo  
vastitatis damnatum concidit, & funditus eversum est, neq; un-  
quam instaurari, ut diximus, neq; Templum Dei appellari potest,  
sed Templum Dei Spirituale sive Ecclesia, in quam AntiChristus  
imperium sibi arrogaturus est. Hoc enim propriè, per τὸ sede-  
re, indicatur. Hanc expositionem approbant Thomas lect. I. in h. t.  
Cajetanus in eundem locum. Job. Ferus in C. 24. Matth. I. 3. p. 198.  
Suarez lib. V. de AntiChr. Cap. 15. §. 5. & alii. Sed regerit Bellar-  
minus, & cum ipso alii, quamvis destructum sit Templum Hie-  
rosolymitanum, quod erat tempore Pauli, aliud tamen ejus lo-  
co quodammodo esse reparandum, & in hoc, utcunq; reparato  
sessurum AntiChristum. Verum omnem prorsus etiam qua-  
liscunq; restitutionis & reparationis spem ademptam esse per  
prophetiam Danielis, omninò certum est. II. Si vel maximè eo in  
loco, ubi stetit Templum Domini, vel Turcæ Mosqueam, vel Judæi  
Synagogam condiderint, vel ipse AntiChristus sibi tanquam  
Deo Templum construxerit, hoccinè Apostolus Templum Dei  
vocaret? Nihil magis, quam Templum Jovis aut Dianæ, eo  
nomine dignaretur: Ut ipse respondet Estius in h. l. III. Quomo-  
dò assertio eorum stabit, qui AntiChristum tantum fore Monar-  
cham, perhibent, cujus Dominationis & potentia amplitudo  
terribilis futura sit, etiam iis, qui non exiguâ Dominandi fru-  
untur licentiâ, Anne tātus Monarcha in templo utcunq; repa-  
rato vel inchoato, ut loquitur Bellarm. in polito & ruderum ple-  
no, regni sui sedem habiturus est?



Argumentamur hunc in modum.

*Quodcumq; Templum funditus eversum ac solo aequatum est ita, ut nulla spes sit aut promissio ullius restitutionis, nec Templum Dei ullo modo salutare potest, Illud, juxta Sacram S. pro sede regni Antichristi, haberi non potest.*

*Atq; Templum Hierosolymitanum est funditus eversum &c.*

*Ergo.*

Ad alteram probationem ex Apoc. XI. 8. desumptā, *Respondemus Imo;* Nititur hæc probatio somnio illo de adventu *Enochi & Helie*, quod dudum explosum est. 2. Si textum ipsum penitus inspexisset *Bellarmino*, & cum eo *Schioppio*, dubio procul de Roma, Spirituali Hierosolyma, sermonem ibi esse vidisset, ne quis enim putaret mundanam & Carnalem, ut loquuntur, Hierosolymam, aut Sodomam & Ægyptum isthic intelligi, cautè ac providè adjecta vox est *πνευματικῶς*. Vocatur autem Roma, (quam præter hunc locum octies Apocalypsis, ultrò id fatentibus *Alcazare* & aliis Jesuitis, appellat *τὴν πόλιν τὴν μεγάλην*) & colluvies Romanæ sectæ, mysticè & spiritualiter I. *Sodoma* propter scortationem corporalem & spirituales, sive Idololatriam, cultumque electitium, & Sodomitica peccata. II. *Ægyptus* propter Tyrannidem & persecutionem, quam adversus pios exercet. III. *Hierosolyma*, quia Christum quotidie in suis membris h. e. sanctis, quorum passiones suas ducit, Act. ix. v. 4. crucifigit, ad flammam & gladium condemnat, & modis omnibus exagitat, & hac in parte imitatur & sequitur impietatem Hierosolymæ, quam in Christo crucifigendo exercuit: Uti itaque Ecclesia fidelium Hierosolyma Sancta, ita Ecclesia Pseudo Christiana, hypocritica, fornicatrix & persecutrix dicitur illa Urbs, in qua Dominus noster crucifixus est. Huc pertinet illud, quod ex *Egesippo* lib. 2. de excidio Hierosolym. cap. 2. *Ambrosio* in oratione contra *Auxentium*, & *Gregorio* in Explic. 4. Psalmi Pœnitentialis refert *Bellarmino* lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 23. in fine, Christum Petro profugo occurrentem, rogantique *Domine quò vadis?* respondisse; *Venio Romam iterum crucifigi;* Unde & locum ajunt in via Appia (que ab Urbe Capuam usq; protendebatur) *Domine quò vadis?* appellari



pellari. *Patribus*, quos adducit *Bellarminus*, opponi possunt, *Patres*:  
*Theodoretus*, qui inquit, *DEI Templum appellavit (Apostolus) Eccle-*  
*lesias, in quibus primam sedem arripiet.* *Chrysostomus*; *Jubebit sei-*  
*psam pro DEO coli, & in Templum Dei collocari, non Hierosolymita-*  
*num solum, sed & in Ecclesias.* *Hieronymus ad Algasiam*, quæst.  
xi. *In templo DEI sedebit, vel Hierosolymis, ut quidam putant, vel*  
*in Ecclesia, ut veriùs arbitramur.* *Theophylactus*; *non in Templo spe-*  
*ciabiter, quod est Hierosolymis, sed in Ecclesiis simpliciter, & omni di-*  
*vino templo.* *Oecumenius, In templo DEI, non dicit Templum, quod*  
*erat Hierosolymis, sed Ecclesias DEI.* Restat precari, ut Ecclesia  
Christi, ex Babylone educta, indies crescat, atque in ea coele-  
ste Evangelii lumen, per quod unicè Antichristus detegitur ac  
dejicitur, ad consummationem seculi conservetur. Quod faxit  
SS. & indivisa Trinitas, cui honor, & gloria  
seculis infinitis, Amen.

*Ad*  
*Præstantissimum Dn. Magistrum Respondentem,*  
*Amicum honorandum.*

**M**ENS studiis imbuta sacris, exacta venustas  
Morum, atque imprimis grata Deo pietas,  
Te decorant; hinc tergemina dulcedine charam  
Demulces patriam, grande decus patriæ.

Johan. Sperling  
PP.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Umg. VI 19

ULB Halle

3

003 144 232



TA 20L  
SR. 124: AMN: 00

VD 17 Z







URBS ἐπιλόφοϛ

# BABYLON APO- CALYPTICA MYSTICA, ROMA

pro Throno Antichristi

Ex

Apoc: XVII. 5. 9. 18 & seq.

*declaratur, ac simul opinio*

DE TEMPLO HIERSOLYMITANO,  
In Sedem ipsius reedificando, rejicitur, Theolo-  
gicâ dissertatione,

*Quam ductu & auspiciis SUPREMI RECTORIS  
& Monarchæ TER OPT. MAX.*

IN INCLYTA & FLORENTISSIMA AD  
ALBIM ACADEMIA,

PRÆSIDE

*Viro plurimum Reverendo, Excellentiss. Clarissimo,*

Dn. JOHANNNE ANDREA  
QVENSTEDT, SS. Theol. D. ejusdemque Professore

Extraord. & Amplissima Facultat. Philos. Adjuncto  
gravissimo,

Dn. Patrono ac Præceptore candidè & sanctè suspiciendo,

*Ad placidam & jucundam disquisitionem in Auditorio  
publico d. ~~XXX~~ Januarii proponit*

M. JOHANNES JOSEPHUS DANIELIS,  
Schemnicus-Hungarus.

TYPIS MICHAELIS WENDT.

Anno M. DC. LII.

*Leab. II 1818*

